



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata**

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiæ, 1589**

Hymnus Ex Voto In Nahhvm. Ode Dicolos Tetrastrophos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44973**

In maiora fouet pellere crimina,  
 Iam quæ claustra decus iuraque truniat,  
 Perrumpit genitrix callida fraus doli,  
 Et vis simplicius fraude nocens iuit,  
 Exemplo vt populus doctus, & indigam  
 Oppressus fugiens pauperiem pati  
 Nec leges timeat, nec metuat graueis  
 Pœnas tartarei sulfura fluminis:  
 Sed quæuis subeat crimina, maximas  
 Sudore exiguo vt diuitias paret.  
 Ast nos cuncta leui pondere ducimus,  
 Quæ vel gemmifero Phiseon alueo,  
 Vel rubris Erythre marginibus lauat,  
 Si nec Sirlinea texta domus trabe,  
 Nec curas adimit lectus eburneus,  
 Nec fucis Tyriis ebria vellera:  
 Quod si me cupidum spiritus in suam  
 Tutelam placidus excipiat, neque  
 Cognouisse vetet munera duplici  
 Consecrata libro, nec neget indere  
 Numen visceribus, dum meditor, suum,  
 Vel Cyrum superem forte beator.

## HYMNVS EX VOTO IN NAHHVM.

*Ode Dicolos Tetraſtrophos.*

O Me quid latebras quærrere, & auium  
 Vulgo nunc mediis rupibus abditum  
 Obscurè miseros & sine gloria  
 Percurrisse iuuat dies?  
 Atque æuum studiis heu nimium breue  
 Instantem grauibus ducere, quid pati  
 Duram pauperiem? speroere dulcium  
 Vitæ comoda partium?  
 Et cur non potiùs magna potentium  
 Præfens facta sequar, iamque animosior  
 Contendam gradibus scandere prospera  
 Clari munera nominis?  
 Illic diuitiæ, & præmia maxima  
 Audendi, & celebri gloria vertice  
 Atollens folio collocat intimis  
 Productum è tenebris virum:

Fasces

Pisces vt pauidum, & scepra minantia  
Magnorumque frequens turba clientium  
Perstringat populum, cogat & annuo  
Regem munere prosequi.

Atqui nec rigida durior esculo  
Sensus, deliciis vt valeam frui  
Contingit, stupidum & consilij impotens  
Aut est ingenium mihi.

Vt spes aggrediar, coner vt optimas  
Artes, intrepidas arque vias, quibus  
Hærentem celebri culmine lauream,  
Summumque eripiam decus.

At nec præcipuis artibus, aut opus  
Extremo ingenio est: sapius imperant  
Vulgares animæ, & ridiculum caput  
Sublimes apices tenet.

Sed quò te rapit hic præcipitem furor  
O mens, quas tenebras concipis impij  
Erroris? dubio puppis in æquore  
Amisisse viam pudet.

Heu quid perpetuis cursibus attinet,  
Indulisse bonis artibus, & modos  
Et causas penitus nosse, quis exitus,  
Quæ rerum mancant vices?

Si frustra sapimus, nullaque protinus  
Viuendi eueniunt commoda rectius,  
Seu quis desidia tempora conterat,  
Doctrinæ colat vias.

Quod si nostra minus pectora roborant  
Sermones hominum, percipe certius  
Diuinum eloquium, sacraque carminum  
Non fallentia dogmata.

Vt quondam ætherei consilij Dei  
Splendorem, & solij nomina regij  
Sublatum ex humili puluere, nec sibi  
Credens tanta, ferat caput.

Hæc nullis hominum parta laboribus,  
Sed (quod sic placuit) numinis edita  
Nutu, non opibus, non gladiis, neque  
Seruantur strepitu graui.

Ast præfens pietas, iuraque & innocens,  
Et recti impavidus propositi tenax,

Et vindex

Et vindex animus fraudis, & integræ  
Virtutis studio calens

Et solers publici certaue commodi,  
Priuatæque rei tempora negligens,  
Cura atque assiduus pro populo labor  
Supremum statuunt decus,

In quæ sepe viri munera maximi  
Delecti, potius pascere in asperis  
Dumeris pecudum bruta bidentium  
Orant agmina, vel bouum.

Ast duris alius maxima cladibus  
Et fuso temerè sanguine ciuium  
Destructis aliis culmina, & arduas  
Construxisse parat domos.

Quem terra ambitio iuncta cupidine  
Sternentem populos fluminis in modum  
Quod rupto penitus proruit alueo,  
Per fas atque nefas rapit.

Sic visum Domino, qui mare temperat  
Et cælum imperio, quique homines regit,  
Voluens consilio secula prouido  
Et iudex, bonus & pater.

Namque ille & sceleris crimina publici  
Et fraudes populi principe & improbo  
Permissa & nimia sepe licentia  
Vlcisci grauius solet.

Sed vi, ac innumera cæde potentiam  
Constructam, & liquido sanguine, non fias  
Raptu, fraude, dolis, & spoliis putat  
Confirmare ferum genus.

Ergo vel laqueis omnia callidis,  
Aut legum innumeris flexibus ac dolo  
Constant, innocuum fraudisque sagax capit,  
Planè & despoliat pecus.

Aut dura aggreditur frangere cuspide,  
Conatum positas rumpere vel plagas,  
Vel casum gemitu ferre miserrimum,  
Vel fugisse malum graue.

Non longum sceleris tempus & impiæ  
Fraudis; posse tamen perpetuum finit  
Esse æuum, subito sed ruit impios  
Feruenti Deus impetu.

Et iam perpetuis subdita molibus

Fundamenta

Fundamenta tremunt, cunctaque gloriæ  
Vertuntur pariter pondera cum suis  
In magnum dominis malum.

Et quam ut flammivomis perderet ignibus  
Inferos populos egerat excitans  
Fustem perfimilem coniecit in rogam,  
Atque ardere iubet Deus.

Diuinis igitur muneribus nimis  
Impar, quæ ulterius poscere sit nefas,  
Horrescens pelagi solliciti minas,  
Hic navem ad scopulum ligo.

Hic me perpetuis carminibus dabo,  
Sermonesque Dei latior audiam,  
Et stratus mediter gramine florido  
Fontis margine vel sacri.

---

IN HABBAKVQ PROPHE TAM

*Carmen ex voto.*

**N**on cœpta lætis vota parentibus,  
Cum pulcher infans ludit amabilem,  
Cui sceptrâ mater, cui coronas  
Poscit auens prece blandiente.

Non quæ per artes innumeras genus  
Mortale duris vsque laboribus  
Exercet auri vel cupido,  
Spesve leuis malè sana honoris:

Non quidquid errans denique suspicit  
Vulgus, beatos efficit, aut iuuat,  
Curas vel auertit sequaces,  
Otia vel meditata præstat.

Nam quæ caducis condita partibus  
Auctore constant munera debili,  
Nil illa magnum, nil perenne  
Efficere, aut tolerare possunt.

Quidquid corusci continet ætheris  
Transmissus axis, scilicet aëra,  
Telluris oras, & liquentem  
Vis penetrat superatque pontum.

Disiuncta quod si corpora sedibus,  
Vnde & decoris artibus efficax

Natura